

Et dicit D. Thomas, quod hoc est ponere prædestinatum differre a non prædestinato ratione præscientiæ eventus, non ex parte ordinis, seu decreti ordinantis, nec ratione electionis ipsius prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ, et dicta sanctorum.

XVIII. Omissis autem pluribus aliis quæ ponderavimus citato loco disputationis xx, nunc sufficit ponderare vim rationis D. Thomæ quam citato loco insinuat, quæ reducitur ad tria inconvenientia. Si cooperatio mea prævisa, esset causa cur mea prædestinatio redderetur efficax, et specialis, distinctaque a providentia generali, sequeretur quod prædestinatus differat a non prædestinato tantum ratione præscientiæ, non ratione ordinis, seu decreti ordinantis: sequeretur secundo, quod præscientia illius cooperationis esset causa prædestinationis: sequeretur tertio, quod prædestinatio non esset per electionem prædestinantis. Sed hæc tria omnino sunt rejicienda, et evitanda: ergo, etc. Minor, quod videlicet ista tria sint inconvenientia, et nullo modo admittenda, manifesta est, nam prædestinationem omnino esse per electionem Dei prædestinantis, non autem per aliquid ex parte nostra se tenens, Scriptura apertissime dicit, ad Ephes. 1: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Et infra: *In quo etiam et nos forte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ex quo loco colligit Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, cap. xix, contra Pelagianos, non supponere divinam electionem et prædes-

tinationem aliqua bona opera ex parte nostra, quia elegit nos ut essemus immaculati, non quia eramus. Contra Semipelagianos autem colligit non supponere etiam aliqua initia honorum operum, quia fit prædestinatio secundum propositum ejus, quia operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; si autem operatur omnia, utique etiam illa prima initia: illa enim aliquid sunt. Ex eodem autem testimonio recte probatur ex electione, et consilio voluntatis divinæ provenire quod prædestinatio sit efficax, et specialis providentia, non ex præsuppositione consensus voluntatis humanæ, quia etiam illud quo prædestinatio redditur efficax, aliquid est, et ad prædestinationem spectat: ergo ex consilio, et electione divina est, quia secundum propositum voluntatis suæ operatur omnia: ergo et illud quod efficaciam est. Similiter prædestinationem esse per electionem Dei manifeste constat ex illo Rom. xi: *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Et infra: *Quod quærebat Israel, hoc non consecutus, electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt:* ergo quidquid secundum electionem non est, excæcatum est, et non salvatur. Denique, Joan. xv: *Non vos me elegistis, sed ego elegeri vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat;* sed afferre fructum, et manere fructum pertinet ad efficaciam prædestinationis, et ad specialem rationem, qua distinguitur prædestinatus a non prædestinato: ergo si hoc est ex electione Dei, et non ex electione nostra quod fructum afferamus, nec erit ex præviso, et præsupposito consensu nostro, sed ex causalitate Dei. Ex quo etiam sequitur, quam magnum inconveniens sit, quod præscientia nostræ cooperationis sit causa, et motivum nostræ prædestinationis: cum

enim prædestinatio sit gratiæ præparatio, si prædestinatio ex præscientia alicujus nostri consensus tamquam ex motivo daretur, gratia daretur ex meritis, seu intuitu ex parte nostra se tenentis, quod recte negat Molina, quia et hoc postulatum est ut Pelagius anathematizaret, scilicet quod gratia detur ex meritis. An vero id sequentur ex sententia Molinæ statim videbimus. Denique, eadem ratione magnum inconveniens est, dicere quod prædestinatus differat a reprobo, ratione solius præscientiæ, non ratione ordinis, seu decreti Dei ordinantis: si enim quidquid habet prædestinatus in quantum prædestinatus, habet ex electione Dei, non vero ex præsuppositione præscientiæ, et electio est decretum ordinis, seu ordinationis divinæ, idem est differre prædestinatum a non prædestinato ratione ordinis, ac fieri prædestinationem secundum electionem Dei. Ista ergo tria magna inconvenientia sunt, si admittantur contra Scripturam, et dicta sanctorum.

XIX. Restat ergo probare sequentem, videlicet quod ista inconvenientia sequantur ex doctrina Molinæ. Et primum inconveniens probatur, quia in sententia Molinæ prædestinatio ut est specialis, et efficax providentia, differt a providentia communi, quæ est communis reprobo, et prædestinato, non ratione ordinationis, et causalitatis divinæ, sed ratione præscientiæ mediæ supponentis consensum, et determinationem consensus nostri, non causantis efficaciam sua antecedenti ipsum: ergo etiam prædestinatus differt a non prædestinato, non ratione ordinis, seu decreti ordinantis, sed ratione præscientiæ consensus prævisi. Consequentia patet, quia prædestinatus, et prædestinatio correlative se habent tamquam actus et objectum:

ergo si prædestinatio differt a providentia communi, in qua includitur non prædestinatus, solum ratione præscientiæ, non ordinis, seu decreti ordinantis, idem dicendum est de prædestinato, quia prædestinatus, prout sic, subest prædestinationi formaliter, et ab ea denominatur. Antecedens autem patet ex ipsis verbis Molinæ prima parte, quæstione vigesima tertia, articulo quinto, disputatione prima, membro undecimo, §. Nos vero, ubi inquit: « Collocantes præterea certitudinem totam divinæ prædestinationis, non in decreto quo Deus ei quem prædestinabat providere statuit de mediis quibus libertate sua perventurus in vitam æternam prævidebatur, neque etiam in ratione ipsa providendi, sed in præscientia, qua id prævidebat, ratione cujus tale decretum ac providentia sortita sunt rationem prædestinationis, asseveramus, sicut præscientia illa, esto originem habuerit ex altitudine, et perfectione divini intellectus, pendet tamen tamquam a conditione sine qua non fuisset in Deo, ex eo quod arbitrium creatum eo pacto pro sua libertate sit cooperaturum, ut ad vitam æternam perveniat; ita etiam quod decretum illud, providentiaque illa rationem prædestinationis fuerint sortita, ex eo fuisse dependens tamquam a conditione sine qua illum non sortirentur, quod arbitrium eo modo pro sua libertate sit cooperaturum, Deusque altitudine sui intellectu certo id præscierit. » Ecce quomodo reducit Molina totam rationem, et certitudinem prædestinationis, qua differt prædestinatus a non prædestinato, et ob quam providentia divina rationem prædestinationis sortitur, non ad decretum, seu ordinationem divinam, neque ad rationem procedendi ipsius, sed ad præscientiam illam, ratione cujus dicit illam pro-

videntiam sortiri rationem prædestinationis. Si ergo ratione præscientiæ sortitur illa providentia rationem prædestinationis, ratione quoque præscientiæ, et non ratione ordinis, seu decreti prædestinatus differt a non prædestinato, licet per generalem providentiam sit ei provisum. Unde sicut præscientiam illam dicit pendere a cooperatione nostræ voluntatis, ut a conditione, ita et decretum illud ut sit prædestinativum a nostra cooperatione dependere dicit, quod postea ponderabimus. Et sic tandem ipse Molina eadem quæstione XXIII, art. VI, in parvo commentario illius, affirmat: « Prædestinationem esse certam, in ea tamen non aliam esse certitudinem, quam divinæ præscientiæ, qua Deus prævidet per media, per quæ unusquisque prædestinatus est perventurus ad vitam æternam. » Reducit ergo Molina totam infallibilitatem prædestinationis ad præscientiam, et non agnoscit aliam, sed iste prædestinatus differt a non prædestinato solum ratione infallibilis directionis ad consequendam gloriam: si ergo tota illa est a præscientia, non differt a non prædestinato ratione ordinis, seu ordinationis, et decreti divini, sed ratione præscientiæ, quod est inconveniens illatum a D. Thoma.

XX. Deinde, probatur quod sequatur secundum inconveniens ex sententia Molinæ, scilicet quod præscientia sit causa prædestinationis, id est, præscientia ejus quod tenet se ex parte nostra sit causa, et motivum ut nos prædestinet Deus: id enim refugit Molina concedere. Quod ut explicet, advertit loco illo citato disputatione I, membro XI, §. Illud magnopere, et sequentibus, quod aliud est quod præscientiæ usus, et operationis nostri liberi arbitrii sit causa prædestinationis, aut gratiæ, et auxiliorum, quasi pro qualitate,

aut propter qualitatem illius usus tamquam pro ratione mensuræ, aut motivo, vel conditione Deus distribuat dona sua, aut unum prædestinet, vel reprobet; aliud quod non sine tali præscientia boni usus datur prædestinatio, ita quod sicut ab illo bono usu dependet in re ipsa executio perveniendi in vitam æternam, ita ab eodem pendeat, quod voluntas illa habeat rationem prædestinationis, vel solius providentiæ. Et in primo sensu docet, bonum usum liberi arbitrii prævisum non esse rationem, vel motivum aut conditionem, ut iste prædestinetur, vel accipiat gratiam, et in hoc sensu a D. Augustino et Thoma quæstionem istam disputari. At vero in secundo sensu dicit ibidem conclusione nona, quod prædestinatio adultorum fuit secundum præscientiam boni usus liberi eorum arbitrii. Unde infert §. quinto, quod: « Ex æternitate fuerimus prædestinati per ea media quibus re ipsa prædestinati fuimus, vitamque æternam consecuturi sumus, non pendet solum ex divina voluntate, qua Deus ad hæc ipsa media nobis opitulari constituit, sed simul etiam ex libera cooperatione et influxu nostri arbitrii præviso, neque voluntas divina ita nobis opitulandi, rationem haberet prædestinationis, nisi de libero arbitrii nostri influxu præscientiam haberet. » Et tandem §. postremo, concludit, quod: « Voluntas Dei æterna, qua adultis ea media ex sua parte conferre statuit, quibus in beatitudinem perveniunt, rationem prædestinationis habuerit, tamquam a conditione sine qua eam rationem non habuisset, ex eo fuit dependens, quod adulti ipsi eo modo pro suainnata libertate usuri erant suo arbitrio, ut ad eam pervenirent, idque Deus altitudine sui intellectus præviderit. » Itaque vult Molina quod ille bonus usus prævisus non sit ra-

tio, et motivum ut Deus istum prædestinet, aut ei gratiam largiatur, nec tamen sit effectus ex ipsa prædestinatione, ab ejusque causalitate et efficacia descendens; sit autem conditio quædam prævisa a Deo, cui adjungens media, et auxilia a se decretata, effectus consurget, prædestinatioque ad finem perducetur efficaciter.

XXI. Contra hunc sensum Molinæ deducimus secundum inconveniens, et dicimus quod hoc ipso, quod Molina concedit illum bonum usum prævisum, non ut effectum descendantem a causalitate prædestinationis, sed ut conditionem ex parte nostra se tenentem, et adjungendam auxiliis, et mediis a Deo datis, hoc ipso, inquam, tenetur concedere illud, quod verbis conatur effugere, nempe ex nostra parte dari motivum, et rationem, ita ut pro qualitate, aut propter qualitatem seu mensuram illius usus arbitrii Deus det gratiam.

Et ratio est, quia ille bonus usus sic prævisus prout descendit a me et a libero arbitrio est aliquid bonum et placens Deo, cum per illum voluntas subjiciatur gratiæ, eique velit cooperari, et consentire, et tale bonum est, quod eo præviso si media sua Deus applicet, redditur illa providentia divina dandi talia media efficax, et prædestinativa, ita ut ex hoc solo quod providetur voluntas consensura illi gratiæ a Deo oblatae providentia, quæ de se communis erat reprobis, et prædestinato, redditur propria et specialis prædestinati; atque adeo Deus speciali amore diligit illum hominem sic bene cooperantem, et strenue agentem cum gratia, quam alterum ignarum, et torpentem, licet eamdem gratiam recipiat; sed illud quod ex parte hominis est ita placens Deo, et dignum speciali amore, etiam est dignum aliqua recompensatione, et

retributione Dei: ergo habet sufficiens motivum ex parte ipsius hominis, ut det illi talem, vel talem gratiam, quia prævidetur bene usus: quod si Deus noluerit propter illud motivum dare gratiam, sed liberaliter, non erit ex defectu motivi ex parte hominis, sed quia ipse Deus non vult illo uti. Nobis autem sufficit pro inconvenienti inferre, quod ex parte nostra detur id quod sufficit ut Deus inveniat motivum dandi nobis gratiam, et prædestinandi nos, et quod si non utitur isto motivo, non est quia non detur ex parte nostra, sed quia non vult eo uti. Probatur ergo minor, quod ille bonus usus sic prævisus habeat rationem sufficientis motivi ad prædestinationem, et gratiam, quia si petitio, et desiderium bonorum operum cæteraque initia, quæ ponebant Semipelagiani, darentur in nobis ante gratiam, et non essent effectus illius, et dona Dei, revera sufficiens motivum esset ut Deus daret gratiam, et prædestinaret homines: hoc enim nunquam negavit Augustinus, imo expresse Semipelagianis concedit quod illa initia si non essent dona, et effectus gratiæ, merita essent gratiæ; imo inde arguit contra illos, et probat quod gratia daretur ex meritis, si illa initia præcederent in nobis, et non essent ex gratia: « Quis enim, inquit Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, c. II, dicat eum qui jam cœpit credere ab illo in quem credidit nihil mereri. » Et S. Prosper libro contra Collatorem, c. VIII: « Nec enim nullius meriti haberi potest potentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia. » Igitur in hoc conveniebant patres quod illa initia bonorum operum, petendo, pulsando, desiderando, aliqua merita erant respectu gratiæ, ac per hoc gratia daretur ex merito, si illa initia præcederent, et non essent effe-

ctus, et dona gratiæ. Et non dico quod erant merita de condigno, nec id dicebant Semipelagiani, cum non essent ex gratia justificante: sed talia qualia erant, rejiciebantur a patribus, ut non intuitu eorum gratia daretur. In eodem gradu, et sensu dicimus nos rejiciendum esse quod bonus usus prævisus ex parte nostra sit motivum, et meritum dandi gratiam. Sed bonus usus liberi arbitrii quem habet unus posito auxilio, et non alter cum eodem auxilio, non est effectus, et donum ipsius gratiæ, et prædestinationis Dei, sed effectus liberi arbitrii, requisitus tamen ut conditio ad effectum gratiæ, et in se non est minoris bonitatis, et excellentiæ, quam illa prima initia, quæ ponebant Semipelagiani ante gratiam: ergo non minus erunt merita, et motiva ad prædestinandum, si supponuntur in præscientia Dei ante prædestinationem, ut supponit Molina, quam illa initia quæ ponebant Semipelagiani, et quæ rejicit Augustinus tamquam merita gratiæ, si ponantur ante gratiam, seu independentur a gratia. Frustra ergo Molina ponit illam bonam cooperationem nostram qua prævidet Deus nos cooperaturos gratiæ, cum possemus non cooperari, esse solum conditionem ut gratia habeat effectum, et efficax sit, non autem posse habere rationem motivi, et meriti, ut intuitu illius, et pro qualitate ejus gratia detur, si quidem est cooperatio illa de se bona, et placens Deo, non minus quam desiderium petentis, aut fides pulsantis: est enim obedientia, et consensus, seu subjectio voluntatis ad gratiam, quod non minus bonum est, quam desiderare, et petere ipsam gratiam, et alias non est effectus causatus a gratia sed cooperatio simul influens cum gratia, et solum procedens a libero arbitrio, si autem non procedit a gratia, nec

est effectus ejus, non minus est independentus a gratia, et prædestinatione, quam illa initia bona antecedentia quæ ponebant Semipelagiani, quia tota independentia ad hoc reducitur, quod non est effectus ejus. Habet ergo quidquid requiritur ut sit motivum, et meritum dandi gratiam.

Et confirmatur. quia tunc verificatur quod pro qualitate illius cooperationis detur gratia, quando ratione minoris conatus, et cooperationis datur minor gratia et ratione majoris conatus major: sic enim pro qualitate ejus mensuratur, et distribuitur gratia: sed si stante æquali auxilio ex parte Dei in duobus hominibus, unus majori, et intensiori conatu cooperetur, et alter minori, illi dabitur major gratia, quam isti, si quidem ille plus laborat, et meliorem actum elicit: ergo pro qualitate illius cooperationis, ut cooperatio est, datur gratia diversa: ergo habet rationem motivi, et meriti, ut detur gratia, et etiam potest eamdem habere, ut detur majus auxilium.

XXII. Denique, tertium inconveniens supra illatum ex D. Thoma, scilicet quod prædestinatio non esset per electionem prædestinantis probatur, quia illud solum est per electionem prædestinantis, quod ab ipso prædestinante sit per electionem gratiæ, et liberalitatis suæ, non quod aliunde supponitur, et expectatur, sed posita, seu electa a Deo eadem gratia pro duobus, quod in isto habeat efficaciam, et non in illo, tollat in hoc impedimentum, et non in illo, non est ex ipsa gratia, sed ex mea cooperatione, et consensu præviso: ergo illa efficacia, prout sic, non est ex electione Dei, quia non est ex gratia Dei, sed adjungitur a nobis ipsi electioni, et gratiæ Dei. Minor est ipsa doctrina Molinæ, et sequacium, qui ponunt

totam efficaciam gratiæ esse denominationem extrinsecam ex ipso consensu nostro præviso provenientem, et adjunctam gratiæ, non ipsius gratiæ vim, et causalitatem in consensum: ergo illa efficacia non provenit ex gratia, et liberalitate Dei, sed adjungitur ipsi gratiæ ex alio principio præsupposito, nempe ex voluntate mea. Major constat, tum quia electio prædestinationis est electio ad salvandum; et sic tota illa electio est gratiæ, et liberalitatis: dicitur enim Roman. XI: *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*: ergo quidquid non est gratiæ, seu ex gratia, non est per electionem salvantis: ergo nec prædestinantis: tum quia id quod Deus eligit potest dare, et promittere, nihil autem dat, et promittit quod non faciat, etiamsi sit per actus nostros faciendum: ergo nihil eligit quod non faciat, sed supponat. Unde dicit Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, c. x: « Quod cum Deus promisit Abraham fidem gentium, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit; promisit enim quod ipse fuerat factururus, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. » Cum ergo id quod Deus eligit possit dare, et promittere, et quando promittit quod per nos faciendum est, ut actum fidei, ipse facit ut faciamus quod præcipit, non nos facimus ut ipse faciat quod promisit, etiam quando eligit actus nostros, non nos facimus ut ipse faciat quod eligit, sed ipse facit, ut nos faciamus quod ipse vult.

XXIII. Nec dici potest quod Deus eligit efficaciam futuram ex consensu nostro, et non ex vi causalitatis suæ, quia providens in tali occasione, et cum tali auxilio nos con-

sensuros, cum posset tunc negare auxilium. elegit dare illud tunc ut effectum haberet; et sic illam occasionem cum auxilio elegit.

Contra enim est, quia etiamsi Deus eligat occasionem, et auxilium, tamen effectus inde resultans adhuc ex vi talis electionis non sequitur, quia illa electio non est ex vi sua potens illum effectum ponere, sed si ponitur, non ex vi electionis est, sed ex eo quod prævisum est ante electionem: nam Deus solum eligit occasionem, et talem, vel talem gratiam, quam in illa tribuit. Hoc autem totum stare potest sine hoc quod sequatur effectus, sed si sequitur, ex eo est quod voluntas se voluit in tali occasione determinare, et Deus id prævidit ante decretum suum, et consequenter ante electionem suam: ergo licet ex electione Dei sit illa occasio, et illa gratia quam dat, tamen illa consecutio effectus, et illa efficacia pro tali occasione non est ex electione prædestinantis, sed ante electionem prævisa: et sic bona est consequentia D. Thomæ quod ille effectus non erit ex electione prædestinantis, quantum ad efficaciam scilicet, et consecutionem de facto ex tali gratia, et ex tali occasione.

Denique, confirmantur hæc omnia contra Molinam, quia non evitat difficultates, quas intendit: sed easdem, quas nobis objicit, tenetur in sua sententia solvere: nam difficultates præcipuæ sunt duæ.

Altera, quod non decet divinam bonitatem ex una parte velle omnes homines salvos fieri et ex alia ante omnem eorum cooperationem prævisam prædefinire illis efficacem gratiam, aut non dare independentem ab eorum cooperatione.

Altera est, quod ex hac antecedente efficacia destruitur libertas nostra, quia non possumus illi resistere voluntati. Cæterum illa prima